



**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

Bellelli, Fulgenzio

Monachii [u.a.], 1749

§. VI. Responsio ad ea, quæ adversus Fulgentium Bellelli ab Anonymo
producuntur ad comprobendam illius cum Bajo consensionem in iis, quæ
spectant ad primæ conditionis integritatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83723](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83723)

§. VI.

Ad ea, quæ adversus Fulgentium Bellelli ab Anonymo producuntur ad comprobendam illius cum Bajo consensionem in iis, quæ spectant ad primæ conditionis integritatem.

S U M M A R I U M.

1. Commentum primum Anonymi dispellitur.
2. Refellitur commentum secundum.
3. Tertius assultus repellitur.
4. Frustrâ Anonymus laborat in ostendenda

convenientia Doctrinæ Bellelli cum doctrina Baji.

5. Ultimus & furibundus Anonymi assultus est inanis.

Commenta
contra Bel-
lellium fal-
sæ innixa
opinionis esse
demonstra-
tur.

*vide Opera
Frider. Ga-
vardi tom.
IV. pag. 264.
edit. Neapol.
Fulgent. La-
fosse tom. 3.
pag. 51. edit.
Tolosæ. Be-
nigni Si-
chrovvski
Volum. 2. de
Justif. pag.
110. edit.
Norimbergæ,
de Lovanien-
sis supra,
cap. 1.*

Pura quidem, eaque in sex paragraphos distributa in virum eruditissimum Bellelli profert inurbanus ac rigidus Animadversor, ut eximium Theologum Bajo consentire demonstraret in iis, quæ pertinent ad dona gratiarum Angelo, & homini in prima conditione collata. Verum cum omnia innixa sint falsæ accusatoris opinioni, quod Bajanus error comprehendatur in hac propositione, *impossibilis est status puræ naturæ*, quæ à nostratibus inculpatè semper in Belgio, in Germaniæ Provinciis, in Italia, in Galliarum quoque lyceis, tum publicis thesibus ab Universitatum Rectoribus approbatis, tum libris Romæ, Neapoli, Veronæ, Lovanii, Tolosæ, Norimbergæ, aliisque in locis cum censuræ judicio, & superiorum auctoritate procusis, propugnata hætenus fuit; cum denique ex dictis in primo hujus dissertationis capite nulla inter errores Baji, & propositionem illam reperiatur connexio: singula adversarii objecta, fundamento subverso, corruunt, & contemuntur. Neque sententiæ suæ monumenta Fulgentius noster ex Episcopo Iprensi mutuatus est, ut pag. 180. inquit Anonymus; sed ex Catholicis, & Orthodoxis scriptoribus, quos supra commemoravi. Enimvero quæ demonstrant rationalem creaturam ad finem supernaturalem fuisse elevandam; ea consequuntur suapte natura ex appetitu beatitudinis nobis ingenito, quemadmodum fatentur adversariorum nostrorum complures; & jam antea à Fulgentio Fosseo, à Friderico Gavardi, à Petro Clenaertio, à Benigno Sichrovvski, & ab Augustinensibus aliis fuerant producta. Quæ autem spectant ad concupiscentiam, ceterasque hujus vitæ miseras, Gregorius Ariminensis, Norisius, Macedo, alique plurimi præmonstraverant. Et si autem Jansenius statum *puræ naturæ impossibilem* existimavit; non omnia ta-

R. P. Berti Theol. Tom. IX.

men quæ Jansenius scripsit, damnata sunt, ut idem Fulgentius Bellelli scite animadvertit his verbis Christiani Lupi viri eruditissimi adductis: *Fore video, ut si cum Jansenio, aut Luthero Apostolicum Symbolum, vel Dominicam orationem fuero professus, protinus de ipsorum scabie apud istum Judicem sim reus*, Epist. ad Henricum Noris cap. 5. ad 10. accusationem. Verum per singula Anonymi objecta, ne quis ea putet firmissima atque invictissima, in hac postrema dissertationis parte discurrem.

Ergo paragrapho 1. Accusator Fulgentium Bellelli ut Bajanismam traducit, quod nullum medium admiserit inter cupiditatem & charitatem proprie dictam, qua Deus diligitur propter se, quæque omnes superat naturæ vires, iis repetitis, quæ in priori disputatione fuerunt ponderata, & discussa. Appellat Bellellina argumenta *vana, tediousa, plenæque sobbismatibus*, propterea quod F. Bellelli supponat Deum non posse diligi super omnia, in quocunque statu, *soliis naturæ viribus*, & peccata esse, *non solum venialia, sed etiam lethalia*, opera omnia, quæ ad Deum finem ultimum minime referuntur; quæ sententia falsa est & absurda, cum Theologi Orthodoxi, inter quos Sylvius 1. 2. quæst. 1. art. 6. §. 2. doceant, *necessum non esse, ut omnia, quæ deliberate vult homo, velit propter Deum*: ideoque futiles esse *argutias*, aut potius *ineptias*, eas, quas Theologus noster profert ad *enervandam Bullarum Pontificiarum adversus errores Baji auctoritatem*. Carpit præterea adversarius P. Bellelli doctrinam, quoniam juxta hanc debuit creatura rationalis *desinari ad visionem Dei intuitivam*, & consequenter illa auxilia conferenda erant, quibus sempiternam vitam sibi compararet: qua in re abutitur, inquit, Theologus noster

1.
Commen-
tum primum
Anonymi.
Bajan. Red.
pag. 180.

S

ca

ea voce *Imaginis Dei*, quæ competit ipsimet creaturæ rationali; siquidem per *Imaginem Dei* nequaquam intelligit creaturam rationalem liberaliter & gratuito ordinatam à Deo ad finem supernaturalem, quo utique sensu illi, supposita hac ordinatione, debentur auxilia gratiarum: sed contendit *F. Bellelli* creaturam rationalem, eo ipso quod est rationalis, ad illam beatitudinem esse ordinandam: cum Orthodoxi Theologi doceant potuisse Deum ordinare ipsam creaturam rationalem in beatitudinem ordinis naturalis, & in visionem, quam Theologi *abstractivam* appellant: à quorum sententia recedit *F. Bellelli* contendens ad quietem, & beatitudinem *Imaginis Dei abstractivam illam cognitionem minime sufficere*. Hæc omnia testimoniis Bellelli censor demonstrat, quæ ideo prætermitto, quoniam necesse non est demonstrare, an revera id vir eximius docuerit, quod nos ultra, libenterque fatemur. Concludit autem paragraphum primum Anonymus asserendo Theologum nostrum *captiosam* illam ratiocinationem, quod nempe *Imago Dei* nequeat quiescere in cognitione *abstractiva*, mutuatum fuisse ab ipso met Bajo, cujus assertionem damnans Facultas Theologica Lovaniensis, inquit: *Servili conditione facere hominem potuit (Deus) qui pro suis obsequiis aliam nullam mercedem expectaret; ac tamen non potuisset alicujus suæ felicitatis sine frustrari, longe minoris tamen beatitudinis inferi potuit appetitus, ut sublimiore illa, nulla molestia, careret.*

2. p. Operum
Baj pag. 163

Responsio.

Hucusque verba & verba, & nihil præter hæc audiui. Fulgentium Bellelli agnovisse medium inter charitatem habitualement, & cupiditatem item habitualement, nec denegasse actus virtutum, quæ à charitate distinctæ sunt, ostendimus in superiori dissertatione: ideoque ejus sententia longe discrepat à Bajana, quæ duo tantum adstruit actionum humanarum principia, *la charité habituelle*, & *la cupidité habituelle*, prout centum Galliarum antistites contestantur. Vitavit quoque Augustinensis Theologus accuratissimus alios omnes erroneos, pravosque sensus delitescentes in 38. Bajii articulo, prout laudata dissertatione evidenter demonstravi. Quod vero argumenta eruditissimi viri dicantur ab adversario *vana, tædiosa*, & quæ *sophismatibus* scatent, nil mea refert: neque enim illorum, qui accusationem faciunt, & crimina moliuntur, verba plurimi sunt facienda; & accusa-

2. accept.
Constitut.
Ungenitus
an. 1720.
art. 4. de
virtut. Theo-
logis.

tio, ut aiebat Cicero pro Cælio, *crimen desiderat, rem ut definiat, argumento probet, teste confirmet*. At quænam argumenta nostratum plena sint sophismatibus, atque inania, accusator iste non definit, nec probat, nec aliorum testimonio confirmat. Quod an faciat affectus tædio, an difficultate ipsorum argumentorum superatus, ignoro penitus. Præmittit quidem magno verborum apparatu, sed inani molitione, eorundem argumentorum capita, *ineptias*, & *argutias* appellans quæ sunt assertiones gravissimæ, atque Augustinianæ sententiæ fontes uberrimi. Hujus generis est opinio Theologi nostri, quod Deus nequeat diligere *super omnia* solius naturæ viribus: quæ opinio non est falsa, & absurda, imo nec nova, quidquid obstrepet calumniator: sed verissima est, perantiqua, & consona sacris literis, quæ tota mente, animoque Deum diligentibus promittunt æternam vitam; ne illius sententiæ quælibet argumenta producā, quæ à me alibi collecta sunt, atque à viro etiam præclarissimo urgentur, exornantur, & vindicantur. Alterum, quod fastidioso stomacho Anonymus deglutire non valet, est, quod Fulgentius Bellelli magna probabilitate defendat, deliberata quælibet opera referenda esse in Deum finem ultimum: quod utique nostrates omnes propugnant, non ita tamen, ut asserant esse *intrinsicus* peccata, & à *noxia* cupiditate vitari quæcunque in Deum charitate non diriguntur. Atque hæc duo, non referri in Deum, & labefactari cupiditate, ubique permiscet & confundit convitiatorum confarcinator. Plura autem de his in prima dissertatione dicta sunt; plura item in ea, quæ proxime consequetur, dicenda erunt. Interim aliud à nostratibus sentire Theologos quosdam *Orthodoxos*, non diffitemur: *Orthodoxos* non esse qui sentiant nobiscum, pernegamus, ostensuri posthac, quantos Theologos clarissimos, probatissimosque hujusmodi convitiandi ratio proscindat. Postremo quod creatura rationalis, & *Imago Dei*, ut rationalis est, appetat *intuitivam Dei visionem*, & hæc sit finis hominis naturalis quantum ad appetitum, & *supernaturalis* quantum ad consecutionem, intueri Theologi tradiderunt: *argutia* istæ non sunt, optime & humanissime Censor, *ineptia* non sunt, commenta Bajii non sunt. Hæc Bellarminus, hæc Scotus, hæc S. Thomas, hæc sensus Scholasticorum communior nos docuerunt. Hinc vero consequi quod *Imago Dei* quiescere

De Theolog.
discipl. tom.
3. pag. 259.
& de statu
creat. ral.
ante peccatum.

quiescere non possit in cognitione, quam Theologi vocant *abstractivam*, fatetur Suarez, affirmat Sotus, demonstrat Recupitus; perlege horum, aliorumque testimonia à me capite primo collecta; inquire, si malæ fidei homo tibi videor, auctorum quos commemoravi libros, & commentaria: expende num inter Orthodoxos inveniantur, qui doceant Imaginem Dei, & creaturam rationalem quiescere nunquam posse in cognitione Dei *abstractivam*: cumque omnia perlegeris, & ponderaveris; dic, si lubet, Fulgentium Bellelli *captiosam ratiocinationem* mutuatum fuisse à Bajo; redarguent enim temeritatem tuam ii omnes, qui modo ignorantia tuæ miserentur. Nec est quod confugas ad expositionem Joannis Lensæi, quam nomine Universitatis Lovaniensis frequentissime laudas: in ea quippe expositione plura verissima continentur, plura tantummodo probabilia: sufficiatque brevis hæc & summaria responsio, nunquam à Facultate Lovaniensi damnatum fuisse, quod in illa Universitate approbantibus Rectoribus semper ad hanc usque diem fuit propugnatum: cujus generis esse *impossibilitatem status puræ naturæ*, demonstravimus paulo supra.

Bajan. Rediv.
pag. 187.
2.
Commen-
tum secun-
dum.

In altero §. auctor Bajaniſmi Redivi-
vi, ait *pluries proscriptam* fuisse doctrinam illam, quæ asserit *ordinationem ad visionem Dei intuitivam*, & consequenter media ad illam consequendam necessaria, fuisse *debita primo homini*, atque hanc doctrinam innovasse Fulgentium Bellelli, etsi Bajum *fraudulenter objurgat, arguit, & increpat*. In eo sitam esse F. Bellelli fraudem obrectator affirmat, quod Augustinianus Theologus docuerit *creaturam rationalem debitam non fuisse gratiam habituales, & virtutes infusas*. Obiter notat, *Fratrem Bellelli*, dum vult adversus Bajum gratiam *habituales* & virtutes *infusas* fuisse supernaturales, eo ipso velle eas fuisse indebitas; nam *vox ista*, Naturale, inquit pag. 190. *idem sonat ac debitum, similiter ista*, Supernaturale, *idem significat ac indebitum*. Addit Bajum nullibi asseruisse, gratiam *habituales*, & virtutes *infusas debitas fuisse primo homini*, cum potius in dubium revocaverit, an homini illas Deus revera concesserit, ut constat ex cap. 2. Opusculi de charitate. Miratur propterea, quod *Fratrem Bellelli* talem *frontem* habuerit, ut Bajo falsam doctrinam adscriberet, quo damnatas theses in alienum sensum detorqueret, atque censuram Pontificiam

R. P. Berti Theol. Tom. IX.

vitaret. Concludit hoc paragrapho, *Fratrem Bellelli turpiter falli, cum talibus effugiis cæteros putat fallere*.

Facillimè hæc diluuntur ex dictis; nunquam enim proscripta fuit sententia, quæ docet hominem absque *intuitiva Dei visione* futurum fore miserrimum; quoniam nunquam proscripta fuit sententia altera, quæ propugnat ipsam visionem *intuitivam* esse finem imaginis Dei *connaturalem*, quoad inclinationem & appetitum; sed ea tantummodo opinio damnata est, quæ asserit media necessaria ad visionem illam consequendam fuisse homini à Deo condito & integro naturalia, proportionata naturæ, eique debita, quomodo debentur proprietates, quæ ex ipsa naturâ bene constituta oriuntur, ut inquit Bellarminus, de quo cap. I. §. I. Nec Fulgentius Bellelli gerit sese fraudulenter, dum inquit damnatum Bajum, propterea quod dixerit *gratiam habituales, & virtutes visus, debitas primo homini*: id enim, quod vir præclarissimus, quantum attinet ad gratiam *habituales*, scripserant Gonetius, Estius, Norisius, alique plurimi, imo & ipse Anonymus pag. 69. qui hæc non objiceret & recoqueret, si memoria polleret tenaciori. Mirandum vero non est, hæsitasse Bajum an gratia *habituales & virtutes infusas* sint admitteendæ, quando eas inter naturalia dona, & proprietates naturæ adhuc integræ annumerandas esse putavit: sed hoc potius, multumque mirandum, illos tanquam Bajaniſtas traduci, qui illam gratiam, virtutesque supernaturales, atque à naturæ bene constitutæ naturalibus qualitatibus plurimum discrepantes esse fatentur. At de his plura capite præcedenti, in quo gerras istas, & cavillulas dissipavi. In his autem, quæ Anonymus subjicit, *Vox ista*, Naturale, *idem sonat, ac debitum: similiter ista*, Supernaturale, *idem significat, ac indebitum*, nemonon videt pertenuem ac fallacem accusatoris hujus memoriam, simulque doctrinam parum alienam ab illo eodem errore, cujus alios insinulat, & proculdubio falsissimam. Pagina enim 73. *Bajaniſmi Redivi* docet auctor creationem primi hominis ampliori significatione vocari gratiam, *Cum sit beneficium gratuito concessum Deo, utpote quod potuisset non concedere*. Sunt ergo beneficia quædam gratuita, ideoque *non debita*, cujus generis sunt munera creationis, quæ tamen non sunt dona *supernaturalia*. Addit eo loci accusator memoriosissimus, *Gratia etiam*

Respondetur
ad singula.

S 2

dict

dict potest omne beneficium indebitum, creatura concessum, etiamsi ordinem naturalem non excedat. Debitum itaque non idem sonat, ac *Naturale*. En singularis, quem innuebam, memoria lapsus. Manifestum insuper est ex cap. 1. §. 3. Bajum appellasse dona collata primo homini *gratiam*, sed in sensu ampliori, & *non improbanda ratione*, quatenus non debebantur meritis præcedentibus, & gratuita Dei bonitate collata fuerunt, & nihilominus in sensu Baji illa dona non erant *supernaturalia*. Verum si idem significat *supernaturale*, ac *indebitum*; collata primis parentibus dona, errore Baji salvo atque immuni, dici poterunt *supernaturalia*, quoniam fatente Bajo fuerunt *indebita*: imo *supernaturalia* dona dicenda erunt natura, creatio, liberum arbitrium, & gratia Pelagianorum; non debita, sed *gratuita Dei bonitate donata*. Falsissima proinde est illa *indebiti*, ac *supernaturalis* promiscua significatio, ex qua sequeretur non fuisse naturalia, sed *supernaturalia*, corpus, animam, pulchritudinem, juventam, robur, paradysum voluptatis, dominium supra feras, & volucres, aliaque plura naturalis ordinis, quæ primo homini nullatenus erant debita. Quapropter inter *supernaturale* & *indebitum* ita distinguendum est, ut *indebitum* dicatur, quod non debetur præcedentibus meritis, sive naturalis ordinis illud sit, sive naturalem ordinem transiliat; *supernaturale* vero dicatur, quod non pertinet ad naturalem rerum constitutionem, neque à natura promanat, neque ab aliqua naturali causa, ejusque solitaria virtute potest produci, atque id etiam à Mastro traditum esse constat ex cap. 1. §. 6. num. 2. Nec ergo fallit, nec fallitur quisquis hæc docet: sed potius adversarius, ut phrasi utar Terentiana, *fallacia aliam trudit*. Non desunt præterea Theologi præstantissimi asserentes non requiri ut aliquid sit *vere gratia*, ac *beneficium indebitum*, nobisque per Christum Divina misericordia præparatum, quod sit ordinis supernaturalis, sed gratiam distinguunt in supernaturalem, ac naturalem; pro qua sententia laudantur à Basilio Poncio Relect. de Grat. pag. 53. & 69. Aegidius in 2. dist. 26. S. Thomas 2. 2. quæst. 136. art. 3. ad 2. Capreolus in 2. dist. 29. q. 1. Bellarminus lib. v. de Grat. & lib. Arbitrio cap. 2. Valquez 1. p. disp. 88. cap. 1. & 1. 7. disp. 189. cap. 16. Molina in Concord. d. 14. & 35. Lessius de Aux. in Appendic. cap. 10. alique permulti, de qui-

bus eo loci Basilius Poncius. Verum id quoque ignoravit, qui ait, *Vox ista Naturalis idem sonat, ac debitum.*

Itaque ut ab eximio aliquo Theologo percipiamus, quo sensu *naturale* accipi debeat in ea quæstione, in qua de originali justitia, & de gratia primi hominis adversus Novatores pertractatur, adeamus clarissimum controversiarum Christianæ Fidei auctorem, Robertum nempe S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Bellarminum. Is de Gratia primi hominis cap. 5. demonstraturum rectitudinem, quam in creatione Adam accepit, fuisse *naturale donum*, ait multis modis dici aliquid *naturale*, quorum primi tres etiam supernaturalibus gratiarum muneribus competunt; ideoque docet quæstionem agitari de *naturali* juxta quartam propriamque significationem. Est enim *naturale* primo modo sumptum, quod habetur à nativitate: secundo modo quod est naturæ consentaneum, quodque ipsam naturam non destruit, sed ornat: tertio modo quod tamen donum sit gratuitum, tamen naturam juvat, ac perficit in operibus naturalibus. His autem tribus modis explicatis, *Quarto naturale vocatur* (inquit Bellarminus) *quod aut est pars naturæ, aut fluit à principiis naturæ: quæ significatione corpus & animus, facultates quoque tum sentiendi, tum intelligendi, atque operationes quæ ab eisdem facultatibus exercentur, naturalia esse dicuntur.* Atque hæc est significatio, de qua hoc loco proprie disputamus, & *naturali*, hoc modo considerato, valde proprie opponitur *supernaturale*. Ac paucis interjectis, *Jam igitur Adversarii censent, rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc ultimo modo, nimirum quod fuerit quedam sanitas debita naturæ, aptaque nasci ex ipsa natura bene constituta, id est, non corrupta: & nunc hominibus, qui eam rectitudinem amiserunt in Adamo, deesse bonum aliquod naturale, quale deesset peccudi si cæca, vel claudicans, vel febricitans nasceretur.* Et si nunc alicui homini originalis illa justitia divinitus redderetur, dicerent eam esse donum *supernaturale per accidens, non per se, ut diximus de oculis redditus cæco nato.* Eadem omnino cum hæreticis, adversus quos disputat Eminentissimus Bellarminus, sensisse Michaellem Bajum testatur Bellarminus ipse, citatus cap. 1. §. 1. num. 3. & hoc à nobis demonstratum est eodem cap. §. 3. num. 3. & 7. In his ergo controversiis, in quibus adver-

Bellarmin. comp.
4. pag. 7.

fus hæreticos, & adversus Bajanas tenemur asserere rectitudinem, atque integritatem primi hominis non fuisse naturalem, vox ista *naturalis* debet accipi, quatenus *naturale est pars naturæ, aut fuit à principis naturæ.*

Addamus Bellarmino Guillelmum Eftium inter Theologos Scholasticos præstantissimum: qui dist. 25. secundi sentent. libri, postquam plura argumenta præmisit, quorum aliqua videntur demonstrare gratiam angelorum ac primi hominis fuisse naturalem, aliqua vero, inter quæ comprehenduntur etiam Bajani articuli 21. 23. 24. 27. 53. & 76. in quibus enuntiatur & continetur proscriptum dogma, de quo nunc disputamus, ut inquit auctor *Bajanism. Rediviv.* pag. 3. & 76., evincunt gratiam illam fuisse supernaturalem, §. 4. propositam quæstionem solvit hac distinctione ei, quam attulit Bellarminus, si nullima: „Si naturale id dicatur, quod Deus indidit, aut contulit cuique rei quando naturam ejus instituit; hoc modo non dubitatur ab iis, qui hominem in gratia conditum docent, quin gratia fuerit ei naturalis: quomodo etiam corporis immortalitatem ei naturalem fuisse diximus ad dist. 19. Rursum si naturale dicatur, quod naturæ consentaneum est, quodque eam ornât ac perficit, etiam hoc modo certum est gratiam non solum primo homini fuisse, verum etiam nobis esse naturalem, ut & cæteras etiam virtutes, ipsamque adeo vitam æternam. Quod si naturale vocetur, quod cuique inest à nativitate, sive sit naturæ bonum & perfectivum, sive è contrario malum & noxium; hoc quidem pacto justitia & gratia primo homini naturalis erat, nobis autem peccatum, & gratiæ privatio naturalis est, juxta illud Apostoli Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ.* Verum præter hæc, & propriissime id dicitur naturale, quod est aut ipsa natura, aut pars naturæ, aut quod à naturæ principis profuit, quodve in natura sufficientem causam habet. Juxta quem modum corpus & anima, sensus, intellectus, cæteræque facultates animæ cum suis operationibus naturales dicuntur: quomodo etiam artes, scientiæ, cæterique habitus, qui solis naturæ viribus acquiri possunt, recte vocantur naturales. Hoc autem modo gratia non potest dici naturalis fuisse primo homini. Constat enim quod neque natura ipsa, neque pars naturæ ejus fuerit, neque potentia naturalis, neque habitus ejusmodi, quem solis naturæ viribus acqui-

rere possibile sit. Sciendum autem inter quatuor modos jam enumeratos, quibus aliquid naturale dici consuevit, solum postremum proprie opponi ei, quod dici solet supernaturale. Nam ei, quod primo, aut tertio modo naturale dicitur, id opponitur quod rei institutæ, aut genitæ postea advenit, sive naturaliter adveniat, sive secus, & sive bonum sit, sive malum. Ei vero, quod secundo modo naturale dicitur, opponitur id, quod est contra naturam. Cum ergo quæritur, utrum gratia fuerit primo homini naturalis, an supernaturalis, si supernaturale intelligas id, quod communiter Theologi intelligunt, necesse est naturale accipi in ea quæstione postremo modo jam explicato. Quocirca ad quæstionem simplex & absoluta erit responsio, non naturalem, sed supernaturalem primo homini fuisse gratiam. „Hoc est Theologice loqui, & recte id, quod est *naturale*, percipere.

In tertio paragrapho illud Anonymus *Bajan. Rediv.* in Fulgentio Bellelli censoria animadversione perstringit, quod ideo supernaturalem dixerit beatitudinem, quia omnes superat naturæ vires; affirmatque id nunquam fuisse negatum à Bajo, & idcirco vitari non posse hoc effugio Pontificiam censuram. Rodit insuper, vellicatque distinctionem inter finem, & mediâ, quorum unum Imagini Dei *naturalem*, hæc *supernaturalia* lib. 3. cap. 12. *de statu creat. rat.* Augustinianus Scriptor asseruit. Hunc sibi non constare pronuntiat, eoquod simul visionem intuitivam *naturalem*, ac *supernaturalem* constituerit, naturalem quantum ad appetitum, & inclinationem, quia sola est *naturæ rationalis requies*, & beatitudo; supernaturalem, quoniam non est *naturæ viribus assequibilis*, sed per superaddita *naturæ adjutoria*. Appellat hæc inanem verborum fucum, quo nemo *perlectari* debet, cum iisdem cavillationibus usus fuerit Jansenius, quem F. Bellelli perfecte imitatus nec à Baji doctrina recedit, nec declinat Pontificiam censuram. Provocat demum virum in pace dormientem, ut indicet quo in loco Bajus gratiam, aut *naturam*, aut *propriè naturæ* appellaverit, siquidem hoc Jansenianum effugium merito contempsit Urbanus VIII. damnans librum Iprensis Episcopi, quod contineret doctrinam in Bajo proscriptam.

Repetitæ cantilenæ sunt istæ. Enim- Respondetur vero existimasse Bajum, quod homo *soli natura viribus* assequi valeat intuitivam

Estium. 2. pag. 293. edit. Paris.

Bajan. Rediv. pag. 139. 3. Commentum tertium.

tivam Dei visionem, gratiamque ad id assequendum necessariam a donis naturalibus non sejunxisse, evidenter demonstratum est in primo hujus velitationis capite §. 1. 2. & 3. Insuper non esse commentum Jansenianum, nec subterfugium illitum inani fuco verborum, nec assertionem in Bajo, vel in Jansenio ab Urbano VIII. vel ab alio Romano Pontifice anathemate inustam, sed vulgarem, imo judicio Molinae communior sententiam Scholasticorum, quod visio Dei per essentiam sit homini, & angelo finis naturalis quoad appetitum, & supernaturalis quoad assecutionem, constat ex eodem capite §. 6. Præterea nullatenus repugnare, quod intuitiva visio Dei sit finis naturalis creaturarum rationabilium, quantum attinet ad inclinationem, & supernaturalia sint media, quibus ad visionem illam perveniunt, norunt, qui lectitarunt ejusdem Molinae, Bellarmini, Mastrii, aliorumque locupletissima testimonia: norunt, qui sciunt rationalem animam separatam à corpore naturaliter hujus unionem appetere, quam tamen assequi non potest naturæ viribus: norunt denique adolescentuli in castris dialecticorum luctantes, quorum neminem fugit pronuntiatum illud; *Contradictio est de eodem secundum idem*. Legat, obsecro, adversarius vel unum Recupitum lib. vi. de Verit. quæst. 1. asserentem, ac demonstrantem has propositiones, *In homine est appetitus innatus ex affectu ascendendi ad cognitionem perfectam primæ causæ: Stat in homine appetitus innatus visionis Dei, etiam sine potentia naturali ad eandem: Appetitus naturalis nihil aliud est, quam habitudo naturæ ad aliquid, quo habito sit quies, quo non habito sit tendentia ad illud: Ex cognitione Dei naturali abstractiva & imperfecta incitatur desiderium cognoscendi primam causam perfecte, & per essentiam: Nihil finitum potest quietare desiderium intellectus: Cognitionis Dei abstractiva est inquietativa; & quo magis perfecta, magis inquietativa: Potentia, quæ respectu summi boni ut assequibilis dicitur obedientialis, respectu ejusdem ut appetibilis dicitur appetitus innatus, prout est principium inclinativum ad desiderium frequens ejusdem*. Quid in argumentis, quæ appellat Be'llina, vana, tædiosa, sophismatibus plena, offendere potuit Anonymus, quod in hisce propositionibus non contineatur, aut ex iisdem non inferatur, si excipias harum barbariem, tumidamque sermonis rusticitatem?

P. R. Casar
Recupitus p.
454. & seqq.

Bajan. Rediv.
pag. 169.

Pergit accusator demonstrare quo-

modo Bajus, & F. Bellelli inter se conveniant circa impossibilitatem status puræ naturæ, hujusque convenientiæ hæc argumenta producit. 1. *Uterque asserit debitam creaturæ rationali charitatem actualem necessariam ad obtinendam beatitudinem*. Ludibundum argumentum, quoniam Bajus charitatem illam naturæ viribus, Fulgentius Bellelli supernaturali gratiæ auxilio adscribendam existimat. 2. *Si gratia habitualis est medium ad obtinendam visionem Dei, igitur & hæc debita erat primo homini; aut contra, si non erat debita, non est medium necessarium, potuitque sine gratia habituali visio Dei intuitiva obtineri, ideoque non accipient rationem meritæ opera, ex quo fiant ab homine in statu gratiæ constituto: quod est damnatum in Bajo*. At hæc quoque futilis cavillatio; nam quamvis dicatur gratiam adoptionis fuisse debitam ex lege providentiæ, ut videtur asserere P. Bellelli pag. 468. non inde tamen sequitur illam gratiam non esse supernaturalem: & rursus accusator debitum, ac naturale confundit. Deinde per gratiam actualem, quæ conferenda erat homini tanquam medium ad beatitudinem consequendam, poterat homo mandatis obtemperare, & de congruo promereri justificationem: hæc vero divinitus collata, promereri de condigno beatitudinem: nam in sententia plurimorum Theologorum de facto angeli, & homo conditi fuerunt absque gratia sanctificante, non tamen destituti mediis necessariis ad finem suum consequendum; & in statu naturæ lapsæ eadem media conferuntur permultis nondum justificatis 3. *Quod Bajus asseruit in damnata propositione 42. justitiam, qua justificatur impius non consistere in gratia aliqua animæ infusa; hoc idem asseruit Frater Bellelli demonstrans libro 1. de statu creat. rat. cap. 11. actualem charitatem justificare*. Caterum ficulnea est tertia hæc objectatio, primum quia eandem cum Fulgentio Bellelli sententiam propugnant Theologi præstantissimi, inter quos Gabriel Vasquez in 1. 2. disput. 203. cap. 3. Deinde Theologus noster proficitur se loqui non de justitia, quæ est remissio peccatorum, sive de justificatione absoluta, sed de justitia initiali & inchoata. Præterea fatetur inchoatam illam justitiam non esse justificationem, sed à vera justificatione sejungi: hanc vero nunquam separari à remissione peccatorum, meritoque damnatum fuisse Bajum, qui proposuit. 43. veram justificationem à remissione peccatorum segregavit. 4. *Rejecit*

4.
Commed-
tum quar-
tum etiam
solvitur.

vide Bellelli
ib. pag. 48.
67.

Ful-

Fulgentius Bellelli, quod tradunt Theologi Orthodoxi, charitatem actualem justificare dispositive, non formaliter, scribens formaliter, & natura sua actualem conversionem creaturæ ad incommutabile bonum reddere animam justam: nihil autem audacius, nihil expressius asserere ausus est Bajus, ut constat ex propositionibus 13. 15. 2. 42. & 66. quas F. Bellelli silentio præterire maluit, quam inani effugio ad sensus mere commentitios desistere. Verum his verbis immerito crimen à se confectum Censor exaggerat. Enimvero ut Augustinensis Theologus audaciæ, & Bajani erroris posset jure meritoque redargui, ostendendum foret, quod non tantum charitati actuali adscriberet rationem quamdam *inchoatæ justitiæ*, verum etiam quod sine charitate *habituali* agnosceret cum Bajo *veram justificationem*, ac *meritum vitæ æternæ*: hunc enim esse sensum damnatum illarum propositionum præmiserat idem accusator parte 1. pag. 33. At P. Bellelli tota illa dissert. præter charitatem actualem admittit charitatem *habitualement*, & *sanctificantem*, quæ animam *sanctam*, & *justam* reddit *permanenter*: suæ charitatis, & gratiæ *habituali* tribuit, ut hominem faciat *filium Dei adoptivum*: negat sine eadem gratia esse in creatura rationali *jus proximum* ad intuitivam Dei visionem, quæ omnia præcitat Bajus propositionibus adversantur. Vide supra §. 3. hujus capituli. 5. *Affirmans* P. Bellelli *justificationis* nomen ab Augustino latiori significatione non semel acceptum, non recedit ab errore Bajani articuli 43. quo asseritur in Catechumenis ante baptismum esse *veram justificationem*, separatam tamen à remissione peccatorum: atque ad vomitum rediens novis momentis ex Augustino calumniose fictis, semper probare nititur charitatem actualem formaliter esse hominis justificationem. Futilius quoque miserrima illa distinctione justificationis perfectæ, & imperfectæ, propositionem damnatam nititur evitare, cum ea, quæ non differunt, nisi sicut perfectum differt ab imperfecto, ejusdem sint speciei, ideoque tam perfectæ, quam imperfectæ justificationis, vera est, atque speciei ejusdem. Frustra itaque F. Bellelli semetipsum de Bajanismi purgare tentat, maxime quod etiam Bajus in Opusc. de Justit. cap. 7. de Catechumeno, & penitente, etiamsi proposito & conversatione multos Dei filios superet, inquit, Nondum potest justus vocari. Nullatenus ergo F. Bellelli doctrina à Bajus doctrina discrepat, nec potest à se notam Bajanismi amovere. Verum

& hæc argumentatio contra Fulgentium Bellelli solum verborum strepitu constat. Bajus enim intelligebat (inquit Gabriel Tom. 2 p. 362. Vasquez in 1. 2. disput. 192. cap. 1. num. 4.) Catechumeno: per gratiam fidei & charitatis vere esse *justificatos*, & habere meritum vitæ æternæ; tamen ad eam consequendam indigere remissione peccatorum per sacramentum. Sic docebat ille prop. 19. & 33. Quo autem in loco invenies Fulgentium Bellelli appellare charitatem actualem, initialem atque imperfectam, justificationem talis generis, quæ habeat meritum vitæ æternæ? Præterea etiamsi Theologus noster docuisset hominem justificari tam actu dilectionis Dei super omnia, quam habitu; nonne idem docuerunt perlaudatus Vasquezus, & si huic fides habenda est, Ruardus Taper, Hosius, Casalius, aliique Theologi præstantissimi? Imperite ergo, aut malevole Anonymus in unum permiscet sententias Catholicas, atque Bajanas, Lege dissert. 4. Lamberti Ledrou cap. 1. pag. 360. Insuper tantum abest, ut Bajus perfectam ab imperfecta justitia distinxerit, ut expresse docuerit oppositum prop. 60. & 61. de quibus egimus dissert. 1. §. 1. num. 9. Rursus in Catechumeno ante remissionem peccatorum asseruit Bajus charitatem, quæ est legis plenitudo: cum doctissimus Bellarminus lib. 2. de Pœnit. c. 13. affirmet neminem recte vivere, neque legem implere, nisi justificatum. Ad hæc charitatem inchoatam esse inchoatam justitiam, & charitatem perfectam perfectam justitiam, revera Augustinus scribit cap. postremo de natura & gratia, neque F. Bellelli contumeliose id fingit; sed contumeliose id illi imputatur quod fingat. Postremo tametsi perfectum & imperfectum sint ejusdem speciei, uni tamen debetur prærogativa, quæ non debetur alteri; nam calor intensus trahit secum substantialem formam, quam non trahit calor remissus: & charitati perfectæ ac prædominanti conjuncta est ea gratia, quæ sanctificat, & est consortium divinæ naturæ; quæ gratia non semper conjuncta est charitati initiali, atque imperfectæ. Non pigeat legere, quæ scripsimus lib. 35. cap. 6. in quo hæc omnia fusiori stylo enodavimus.

Prosequitur suam accusationem Anonymus, & quinta sectione agit de immunitate à morte, à concupiscentia, ab ignorantia, cæterisque hujus vitæ miseriis: in qua immunitate asserenda contendit Fulgentium Bellelli non recedere à Bajo; sed abstinere ab impugnanda sententia

De statu creat. rationalis pag. 9. 25. 468.

Vasq. ibid. disp. 202 p. 449. & seqq.

Bajus de Charit. cap. 7. tom. 1. p. 93.

Vide de modo reparat. lib. 5. cap. 10. p. 329.

5. Bajus. Rediv. pag. 206

tentia illa quantum ad concupiscentiam spectat, quoniam nonnulli Theologi docuerunt Deum non potuisse hominem condere obnoxium ipsi concupiscentiæ. Qua autem ratione hanc F. Bellelli cum Bajo coherentiam demonstrant? Primum quoniam propositionibus 53. & 69. Baji distortos sensus affligit, nec erubescit ad nauseam usque iterare, quæ Bajaniſta evomere de famosa virgula transpositione. Ait quoque F. Bellelli propositionem 53. falsam esse in sensu Baji, at non esse falsam, ut sonat, cum Deus non potuerit hominem condere peccatorem, qualis nunc nascitur. Id vero nec in Baji mentem venit unquam, sed negavit is tantum, non posse hominem condi corpore fragili, & morti obnoxio, animoque debeti, atque prono in voluptates & sensuum oblectamenta; oppositum vero docuerunt in Expositione illa sua sæpius commemorata Theologi Lovanienses. Ulterius Fr. Bellelli nunquam in Opere de statu creat. ration. dignatur respondere in quo sensu propositio illa 53. Baji sit falsa. In tractatu autem altero de modo reparationis excogitavit sensum alium fictitium, nempe quod Deus non potuisset creare hominem, qualis nunc nascitur, veræ gratiæ indigentem; ita enim scribit lib. 4. cap. 8. & in proposit. Quesnelli 70. §. 2. At nullum verbum in prop. 53. quæ hanc limitationem requirat; sed damnata illa est in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, ideoque in illo fictitio sensu, quem illi F. Bellelli nititur attribuire. Præterea quoddam discrimen est inter Bajum, & hunc Baji discipulum, cum uterque asserat creaturam rationalem non potuisse à Deo condi absque gratiæ adiutorio, non potuisse creari absque ordinatione in visionem Dei intuitivam? Uterque ergo meretur affici eadem censura. De immortalitate etiam Augustinianus Theologus pertractans subtili & dolosa evasione vitare enititur censuram propositionis 75. dicens immortalitatem primo homini debitam solummodo fuisse titulo iustissimæ providentiæ, damnatum vero Bajum, quod debitam dixerit tanquam naturæ proprietatem. In hoc semper Novatores errant, quod contumaciter affirmant Deum fore injustum, si mortalem crearet hominem, antequam peccaret. Quod spectat ad proposit. 69. Baji, quæ eadem est cum 20. Quesnelli, ut fucum faciat incautis, F. Bellelli per varias mendacii ac fraudis ambages, inquit, Fide tenendum esse, quod Deus aliquoties innocentes affligit, cum animæ in purgatorio exsolvant temporalis pænæ reatum,

parvuli baptizati plerumque doloribus plectuntur, & permulti, qui carent gravi peccati macula, sæpe afflictionibus purificantur. Quis, nisi desipiat, hunc sensum tribuit Quesnellianæ propositioni? At necessum erat hæc confingere, ut error proscriptus à Summo Pontifice factus tactus persisteret. Quid plura? Errorem Baji & Quesnelli renovavit F. Bellelli, dum lib. 3. de statu creat. rationalis ante peccatum cap. 26. ait, Alienum esse à iustitia Dei, ut innocentes vel levi pænâ puniantur. His invictè probatum est, in scriptis F. Bellelli reviviscere doctrinam Baji de impossibilitate status puræ naturæ, quæ doctrina ad tria capita revocatur. 1. Quod Deus non potuit condere creaturam rationalem absque iustitia originali, nec ei denegare media ad salutem necessaria. 2. Non potuit illam creare, quin destinavit ad visionem sui ipsius intuitivam. 3. Non potuit illam creare obnoxiam morti, concupiscentiæ, ignorantia, cæterisque hujus vitæ miseriis. Quos errores F. Bellelli fuse pertractat, propugnat, atque acerrime defendit in aurolo illo Opusculo De statu creaturæ rationalis ante peccatum. Hactenus accusator.

Hæc, quæso, talia sunt, propter quæ Fulgentius Bellelli non Bajaniſmi tantum, verum etiam inverecundia, mendacii, fraudis, & contumaciæ reus palam, editisque voluminibus erat traducendus? At hæc omnia sæpe iterumque, in hac etiam dissertatione, eradicata fuerunt, evulsa, contrita. Oro, si quid humanitatis in Scriptore tali atramento, ac venenato stylo memoriam optimi viri vellicante, residuum est, ut humaniter excipiat quod ipsius argutiis, non invictis, sed vitreis, non solidis, sed ventosa indignatione tumentibus, inflatisque reponam. Ac primum, si nonnulli Theologi, imo bene multi, & quidem gravissimi, prout demonstravi cap. 1. §. 7. docent non potuisse hominem à Deo condi subiectum motibus concupiscentiæ, quæ nunc laceſsimur; propositio igitur 53. Baji non est damnata, nisi prout complectitur dona quælibet primæ conditionis, ac singillatim gratiam sanctificantem, & exaltationem in Divinæ naturæ consortium, ut explicarunt præclari viri, Estius, Gonet, Norisius, de quibus cap. 1. §. 1. institutus est sermo. Insuper si adversarius abstinendum putat à ferenda censura in opinionem illam circa concupiscentiam, quam nunc experimur, quoniam revera opinionem ipsam tenent Orthodoxi quidam Theologi

Solvitur ut
terius.

logi, debuerat pari ratione abstinere à convitiis, censurisque in sententiam; qua defenditur *impossibilitas status puræ naturæ*, quoniam & hanc propugnant Orthodoxi Theologi bene multi, ut item demonstravi cap. 1. sect. 1. num. 13. & sect. 9. num. 12. Jamvero quantum ad. *rational.* spectat ad propositionem 53. Baji; quod pag. 498. & Fulgentius Bellelli præmittit de interpolatione Pianæ Bullæ, quamquam à me commentum reputetur, probatur tamen Catholicorum nonnullis, & insuper Theologus noster non valde dubiam esse testatur; adhibetque insuper responsiones alias, ex Vasquio, Norisio, La-Fosse, & ex aliis depromptas; quas omnes verbis auctorum suorum in priori hujus dissertationis capite præmissimus. Immerito itaque vir probatissimus, fraudis, contumaciæ, & inverecundiæ hac de causâ reprehenditur. Propositionem vero illam quinquagesimam tertiam, *ut sonat*, & in aliquo sensu veram esse, eoquod homo non potuisset à Deo condi cum peccato, cum quo nunc omnes nascimur, recte sapienterque P. Bellelli affirmavit, idemque scripserant Cardinalis Norisius, & Pater Macedo, prout constat ex dictis cap. 1. §. 1. num. 12. Neque hoc Bellelli, Norisius, Macedo tradiderunt, quasi crediderint fuisse Michaelē Bajum in ea sententia, quod Deus potuerit condere hominem in peccato: sed ut ostenderent propositionem 53. *ut sonat*, esse veram, & damnatam in sensu ab assertoribus intento. Ait accusator, non dignari F. Bellelli in Opere *De statu creature rationalis*, quod Opus ironice *aureolum* vocat, assignare sensum illum auctoris damnatum. Aureolum, fulgidissimumque mendacium! Libro enim tertio, cap. 28. de sensu illo damnato accurate pertractat; & propositionem 53. damnatam fuisse affirmat, quoniam Bajus putabat concupiscentiam esse *formaliter* peccatum, atque hinc inferebat. non potuisse hominem creari obnoxium concupiscentiæ, quia non potuit creari in peccato: atque hæc eadem est responsio Cardinalis Norisii, & Patris Macedo, ut supra vidimus. Addit P. Bellelli, juxta mentem quorundam Theologorum, eandem propositionem fuisse proscriptam, quia Deus potuit condere creaturam rationalem *sine gratia sanctificante*: atque hanc responsionem esse Gonetii, Estii, & Fulgentii Fosseii, luce meridiana claret ex primo capite præcitato. Respondit eo quoque in loco P. Bellelli damnatam propositionem R. P. Berti Theol. Tom. IX.

nem illam, quoniam Bajus putabat primæ conditionis dona ita fuisse debita, ut pertinerent ad naturalem constitutionem, seu naturalem quamdam proprietatem. Altera item responsio, quæ traditur *de modo Repar.* lib. IV. cap. 18. pag. 212. nempe quod Bajus negaverit hominem in statu integritatis fuisse *veræ gratiæ indigentem*, non sensus distortus, sed verissima sententia est: siquidem Bajus aperte in primo homine negavit gratiam naturæ superadditam, quod evidentissime demonstravi cap. 1. §. 2. & 3. Corruit ergo universa calumniæ adversus virum placlarissimum machinatio. Quod autem pertinet ad propositionem 69. Baji, & proposit. 70. Quesnellii, constat responsionem P. Bellelli probatam antea insigni Theologo Tolosano. Vide cap. 1. §. 9. num. 8. Adde propositiones istas non spectare ad statum *puræ naturæ*: sed ad præsentem *naturæ lapsæ*, in quo immunitas à morte, cæterisque miseriis est beneficium indebitum: mors autem, & afflictiones sunt quidem peccatoribus pœna peccati, sed justis convertuntur à Deo in exercitium virtutis, in occasionem meriti, & in gloriæ incrementum. Eadem insuper P. Bellelli responsio expresse traditur à S. Thoma lib. IV. adversus Gentiles cap. 52. 79. & 81. ubi *supposita Dei providentiâ* demonstrat mortem, hujusque vitæ defectus esse pœnam peccati: imo traditur quoque à S. P. Augustino innumeris in locis, ac præsertim lib. 6. Op. Imperf. num. 39. atque id etiam demonstratum est cap. 1. §. 7. & 8. Non ergo Theologus noster *dolosa evasione* nititur Pontiniciam censuram effugere; sed Accusator dolosa insimulatione ventilat Theologi nostri cineres. Utinam adhuc viveret! Aquilam cornix non provocasset. Hæc tamen pro illius vindictis, & objectorum refutatione sufficiunt: nam quæ opponuntur de tribus illis capitibus, ad quæ reducenda est questio de *Impossibilitate status puræ naturæ*, confutata fuere cap. 1. §. 6. 7. 8. & 9. Jam ergo unum, quod superest, expendamus.

Sectione ultima, ac sexta invehitur in *Bajan. Rediv.* Apologiam, quam in Opere *De modo pag. 217.* *Reparat.* inclytus Augustinianus Theologus exornavit, affirmans lib. 4. cap. 18, Bajum de facto docuisse, primum hominem fuisse conditum in *puræ naturæ*, & nihil huic errori magis esse contrarium, quam naturam puram tam de facto, quam de possibili de medio tollere. T Audā-

Audacia eximium scriptorem rursus damnans furibundus infectator, ait illum confugere ad paradoxum hactenus inauditum: inquit eum verbis ludere ac fallere, usurpare sensus varios atque ambiguos, fidelem esse novatorum discipulum: quæ eo tantum animo attigi, ut appareat cur Anonymum dixerim furibundum infectatorem. Quid est enim aliud furere (inquit in Pisonem Marcus Tullius) nisi non cognoscere homines? Et si enim, quod absit, Fulgentius Bellelli propria opinione deceptus in errorem prolapsus foret; nunquid propterea dicendus audax & temerarius, illusor, fucum faciens, novatorum discipulus, fictitii sensus, effugiorum, fraudum, mendaciorumque captator, quibus vocabulis, ubicunque ab Anonymo, à viro scilicet prudente, temperato, erudito, hac mente, hac lingua, hac scientia prædico nominatur, continuo læditur & proscinditur? Sed quare Apologia illa dicenda est paradoxum inauditum? Quoniam, ait accusator, quidquid sit de verbis illis, Impossibilis est status puræ naturæ, certum est damnatum esse Bajum, quod asseruerit non potuisse rationalem creaturam condi sine ordinatione ad intuitivam visionem Dei, neque absque charitate, & mediis ad æternam salutem obtinendam necessariis: & certum quoque est damnatum esse Bajum, quod docuerit non potuisse hominem condi obnoxium morti, cæterisque huius vitæ miseriis: quæ F. Bellelli pariter docens eadem pœna afficiendus est, et, ne Bajanismi mole opprimatur, simulat aliquem à Bajo recessum. Imo calumniose imputat Bajo, quod docuerit non solum status puræ naturæ possibilitatem, sed etiam realem existentiam, cum Bajus in locis pene innumeris contrarium tradat. Assignet F. Bellelli textum Baji, referat Bajana verba. Falso id imputat Bajo, falso, ut imperitis fucum faciat, Bajo calumniam instat. Neque enim aliquem movere debet quod Bajus vocem naturalis usurpaverit loquens de primi hominis integritate; siquidem demonstratum est Bajum naturale dixisse quod est debitum. Instat F. Bellelli nullibi damnatam esse propositionem illam, Impossibilis est status puræ naturæ: at Theologi ex dogmate definito per legitimam consequentiam illam inferunt. Habemus igitur consistentem reum, qui acerrime propositionem illam defendit. Præterea F. Bellelli in variis abiit contradictiones; quippe rejiciens impossibilitatem status puræ naturæ, puram naturam accipit communi sen-

su Catholicorum; dum vero Bajum simulat impugnare, naturam puram appellat, quæ ordinata est in intuitivam visionem Dei, & charitate cæterisque donis est prædita. Si sincere Bajum refellere voluisset, debuisset ostendere sensisse Bajum, quod Deus potuerit condere rationalem creaturam absque donis superadditis. Sed hoc Bajus non docuit, imo expresse contrarium asseruit. Id etiam docuit F. Bellelli cum Bajo sentiens. Insuper in eadem Apologia infructuose repetit, quod alibi tradiderat, Bajum scilicet asseruisse gratiam debitam Adamo innocenti tanquam naturalem proprietatem; & in casum recidunt omnes dolosa illius Apologia conatus, jam impugnati. Nec abluunt Bajanismi sordes, addens gratiam Adamo debitam ex lege justissimæ providentiæ, cum id etiam Jansenius docuerit, cui impie Eremita noster consentit. Fatendum utique auxilia necessaria ad ultimum finem assequendum fuisse debita primo homini, supposita ejus mere gratuita ordinatione ad visionem Dei intuitivam. Verum non placet F. Bellelli hæc hypothesis, sed putat non potuisse creaturam rationalem condi non destinatam ad ipsam intuitivam Dei visionem, & supposita sola voluntate condendi creaturam ratione præditam, illi visionem Dei, illi media ad hanc necessaria fuisse debita. Hæc tamen media gratiam appellat. Quo jure, qua injuria? Quisque judicet. Hæc omnia in officina Jansenii fabricata sunt: illi accepta referri debent; nec minus in ore discipuli absurda debent eximari. Hæc ad paginam usque 228. Bajanismi redivivi, Operis cedro, auroque dignissimi,

Evidentissime ex dictis hæc postrema Refellitur A. objecta, & repetita cantiones, in quibus nil invenies præter congeriem convictorum, refutantur ac refelluntur. Ostendi enim supra illam propositionem, Impossibilis est status puræ naturæ, minime per legitimam consequentiam deduci ex damnatis erroribus Baji; sed innumeros esse Theologos, qui illam absque ulla Bajanismi nota propugnant, contententes fulciri iisdem argumentationibus, quibus S. P. Augustinus demonstravit adversus Pelagianos originale peccatum. Ostendi naturale in sensu Baji non esse idem, ac debitum utcunque, sed debitum, ut lumen oculorum, ut auditus, ut sanitas, ut qualitas, & munera, quæ spectant ad naturalem constitutionem. Ostendi etiam Bajum in Apologia art. 53. scripsisse, quod re-

vera

vera Deus potuerit condere hominem, qualis nunc nascitur; & nihilominus turpiter errasse; quod vellet integritatem in illa hypothese conferendam fuisse primo homini *in origine*, ut visus conferretur catulis. Nec opportunum puto eadem semel, iterumque repetere, ne sim in Apologeticis vindiciis ita loquax. & garrulus, ut est in urgendis convitiis Anonymus.

Duo utiliter
notantur.

Duo tamen addenda puto, unum quod *Apologiam*, in qua P. Reverendissimus Bellelli, olim FF. Eremitarum Generalis Magister, & Doctor clarissimus ait Bajum docuisse status *puræ naturæ possibilitatem*, atque *existentiam*, vocat animadversor *inviditum paradoxum*: alterum, quod P. Bellelli noluit admittere hypothese, quam Theologi complures statuunt, dum affirmant debitam quidem gratiam primo homini, sed supposita gratuita hujus *elevatione ad visionem Dei intuitivam*. Quantum ad primum attinet: Status *puræ naturæ* ille est, in quo homo absque culpa, & absque gratia conditus posset naturæ viribus assequi finem, quem naturaliter appetit. At Bajus teste Bellarmino docuit ita primum hominem potuisse ad beatitudinem pervenire, ut oculi sani possunt lumen recipere: Bajus teste Turriano affirmavit hominem integrum viribus naturæ, & absque gratia potuisse promereri vitam æternam: Bajus teste Vasquesio asseruit hominem primum donatum fuisse iis tantum muneribus, quæ spectant ad naturalem constitutionem: Bajus teste Suaresio in primo homine non aliam agnovit gratiam, quam illius generis, cujus sunt munera creationis: Bajus teste Joanne Martinez pronuntiavit de natura integra, quod Pelagius commentus est de natura post lapsum. Quomodo ergo est *paradoxum inauditum* illa veritas, quæ non latuit Bellarminum, non latuit Vasquesium, non latuit Turrianum, non latuit Suarez, non latuit Joannem Martinez? Adde momenta reliqua, quibus cap. 1. demonstravi Bajum in natura integra nulum supernaturale donum agnovisse. Nec Fulgentius Bellelli sibi met contradicit affirmans Bajum appellavisse naturam *puram*, quæ ad visionem Dei ordinata est: enimvero putans Bajus Deum nulla ratione esse finem *supernaturalem* creaturæ rationalis, & visionem Dei in natura integra nullo modo futuram fuisse *gratiam*, ut docet Vasquez 1. 2. disputat. 195. cap. 4. in sensu Baji nec R. P. Berri Theol. Tom. IX.

elevatio ad visionem Dei, nec media necessaria ad hujus consecutionem, extrahunt rationalem creaturam à statu *puræ naturæ*. Nec tantum Michaellem Bajum, verum etiam Jansenium re ipsa admisisse *puram naturam* in Adamo & in Angelis censet, multisque argumentis probare conatur Sylvester Maurus Soc. Jesu, in Op. Theologico lib. 6. quæsti. 44. Volum. 2. pag. 138. editi Romæ. Hæc, alioqui obvia, mediocri cuidam Theologo, si animadvertisset præceptum insimulator, virum doctissimum, sibi quæ constantem, contradictionis & antilogiæ nequaquam redarguisset.

Quantum spectat ad hypothese *gratuitæ elevationis* ad finem supernaturalem, qua supposita debentur creaturæ rationali media necessaria ad ejusdem finis consecutionem; nos illam in sua probabilitate relinquimus. Sed animadvertendum est, Theologos eidem hypothese innitentes supponere fuisse primum in Deo voluntatem producendi rationalem creaturam, postmodum illam elevandi ad supernam beatitudinem; cumque hæc sit consequens, & priori voluntate posterior, ajunt illi potuisse hominem condi absque hujusmodi elevatione. At Fulgentius Bellelli primum in Deo statuit voluntatem instituendi supernam civitatem Jerusalem, deinde creandi homines & Angelos, ut illius cives essent. Audiatur Theologus præstantissimus: *Poterat* (inquit lib. IV. De modo Reparatur. cap. 19. pag. 215.) *poterat Deus antecedenti voluntate velle se creaturæ suæ per faciei suæ intuitum, beatam fruitionem, possessionemque communicare; sicut poterat nolle. Quod autem in Deo antecedens ea voluntas sic se communicandi possidendum præextiterit, nostroque concipiendi modo prima voluntas formandi sanctam societatem, seu supernam Jerusalem, totque, & non plures in ea mansiones, sedesque statuendi, numero scilicet locorum prædefinito, voluntatem alteram condendi rationalem creaturam antecesserit, in argumento est, quod spirituales rationalemque creaturam, Angelicam scilicet & humanam, imaginem suam immortalem, non sicuti pecora, ligna, aut saxa, sed sui capacem, tanquam vas grande vacuum, egenumque, atque ad summam incremendi Boni plenitudinem inbians, condiderit. Atque hanc suam hypothese vir egregius Sanctorum Augustini, Damasceni, & Thomæ Aquinatis auctoritate confirmat. Sicut ergo supposita eleva-*

elevatione creatura rationalis ad finem supernaturalem, consensu Theologorum omnium, debentur illi supernaturalia gratiae auxilia, necessaria ad eundem finem consequendum; nec tamen desinunt esse dona gratiarum, quoniam conferuntur ex liberrima illa elevatione, & ordinatione ad supernam beatitudinem: ita supposita in Deo illa antecedenti voluntate instituendi Jerusalem caelestem, Sanctorumque societatem, creatura rationali, & Imagini Dei, condita ad illam supernorum civium societatem constituendam, debetur in Augustinianum sententia gratia omnino ad id necessaria; nec proinde desinit esse gratia, quia descendit ex liberrima illa voluntate Dei instituendi supernam Jerusalem, ad quam nulla creatura à Deo

condita potest solis natura viribus pervenire. Hæc est Fulgentii Bellelli sententia, ab ipso argumentis firmissimis communita: quæ tamen argumenta adversarius omittit, sola doctrinæ capita, à se deturpata æquiparans larvis conficti à se *Bajanismi*; dignus sane, quem in hujus dissertationis exitu hisce S. P. Augustini verbis alloquar: *Quia his relictis, quibus ea, quæ posuisti, adstruuntur atque muniantur, sic illa putasti esse ponenda, ut tanquam in solitudine, defendente nullo, latrocinantem invaderes; legent hæc qui volunt scire quid egeris, vel potius ad ejusdem libri considerationem recurrant, unde ita reposui, & videntur ea manere firmissima, quæ velut infirma labefacta tentasti.*

lib. 7. op. Imperf. contra Julianum nu. 64. tom. 2. pag. 1287.



DISSER-